

quos initio citavimus : et sanctus Augustinus in Enchiridio, cap. 113. et in epistol. 121. cap. 11. Proinde quod idem auctor in lib. II. de sermone Domini in monte, cap. 12. explicat hunc locum de solo pane spirituali, intelligendum est de solo pane principaliter, et primaria intentione petendo, non autem absolute de solo pane spirituali, alioqui manifeste secum ipse pugnaret. Quo modo etiam exponi possunt omnes illi Patres, quos pro secunda opinione citavimus.

Unatantum est objectio adversus hanc sententiam tertiam, quod vox Græca ἐπιούσιος quæ est tam apud Matthæum, quam apud Lucam, non videatur posse convenire pani corporali. Nam vel significat supersubstantialiam, vel certe eximium, peculiarem, excellentem. Idem est enim (ut S. Hieronymus dicit) ἐπιούσιος et περιούσιος. Vox autem περιούσιος peculiarem significat, ut perspicuum ex Deuter. cap. 7. 14. et 26. Et ex epist. ad Tit. cap. 2. ubi populus electus, et peculiaris dicitur λαὸς περιούσιος.

Respondeo : Vox ἐπιούσιος, si sonum spectes, supersubstantialiam significat : tamen si rem subjectam consideres pro eodem accipitur, pro quo substantialis, sive essentialis, ut non tam ad excellentiam, quam ad necessitatem panis, referenda esse videatur. Nam Græci Patres, qui vim Græci vocabuli optime noverant, ut Basilius in quæstionibus brevioribus quæst. 252. Gregorius Nyssenus orat. 4. de oratione Dominica, Joannes Chrysostomus, Theophilactus et Euthymius in commentario ad 6. cap. Matthæi dicunt, ἄρτον-ἐπιούσιον esse panem substantialiam, id est, substantiæ nostræ alendæ accommodatum. Quo etiam respexit antiquus interpres, qui quotidianum reddidit, id est, quo pane quotidie indigemus.

At, inquires, vulgata editio Matth. VI. habet supersubstantialiam, quæ Latina vox non videtur nisi ad excellentiam posse referri. Respondeo, primum non desunt multi codices antiqui vulgatæ editionis, qui non habent supersubstantialiam, sed quotidianum.

Quomodo etiam legisse constat sanctum Cyprianum ; immo et Ecclesiam Latinam universam, quæ in oratione Dominica, quam ex Matthæo sine dubitatione desumpsit, semper oravit et orat, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Deinde sicut Græci ἐπιούσιον legunt, et tamen non habita ratione

præpositionis exponunt substantialiam, cur non possumus et nos Latini legere supersubstantialiam, ut verbum verbo respondeat, et tamen non habita ratione præpositionis exponere substantialiam. Adde quod cum vulgata latina editio eandem Græcam vocem ἐπιούσιον reddat apud Lucam quotidianum, apud Matthæum, supersubstantialiam, ita debet exponi vox, supersubstantialis, ut cum voce, quotidianus, apte consentiat. Consentiet autem aptissime, si per illud (supersubstantialiam) significari dicamus panem substantiæ nostræ alendæ et conservandæ quotidie necessarium. Denique potest etiam supersubstantialis idem esse quod valde substantialis. Quomodo dicimus, superabundare et supereminere, valde abundare et valde eminere. Qua significatione idem omnino erit panis supersubstantialis, et quotidianus. Ideo enim quotidie necessarius est, quia valde substantialis est. Sed jam de singulis vocibus hujus petitionis pauca dicamus.

PANEM. Recte panem petimus, posteaquam gratiam, quæ est animæ vita, petivimus. Nihil enim prius appetit, qui vivere cœpit, quam panem. Recte etiam nomine panis significantur omnia subsidia vitæ spirituali et corporali necessaria. Nam et Sacramentum altaris, quod est unum ex præcipuis animæ subsidiis, panis dicitur Joan. VI. et I Corinth. XI. et Verbum Dei, cujus prædicatione etiam pascimur, dici potest etiam panis, cum dicat Apostolus I Timoth. IV. *Enutritus verbis fidei*, et Hebr. VI. *Gustaverunt bonum Dei verbum* (1). Denique cibum omnem corporalem in Scripturis panis nomine comprehendi notius est, quam ut sit necesse probari.

NOSTRUM. Recte ad panem additur nostrum, tum ut intelligamus panem Eucharistiæ esse nostrum, id est, proprium filiorum, quem alieni habere non possunt, ut sanctus Cyprianus exponit : tum quia non cupimus panem alienum, id est, Verbum prædicationis hæreticæ, sed panem nostrum, id est, doctrinam sanam, catholicam, orthodoxam, qualis Ecclesiæ filiis dispensatur. Tum denique quoniam etiam panem corporalem non volumus alienum, id est, furto, rapina, fraudibus, malisque artibus acquisitum, sed nostrum, hoc est, proprio labore et industria : vel ex justis legitimisque redditibus, Deo benediciente, partum : de qua re vide auctorem operis imperfecti.

(1) I Tim. IV, 6; Heb. VI, 5.

QUOTIDIANUM. Hanc vocem addere jubemur, primum, Cypriano et Chrysostomo auctoribus, ut intelligamus non esse quærenda supervacanea et sed curiosa, substantia, simplicia, necessaria, sine quibus nullo die vivere possumus. Deinde (ut iidem auctores docent) ne de crastino solliciti simus, sed tamquam hospites, et peregrini vivamus in diem. Tertio quotidianum petimus, ut S. Augustinus monet in sermon. 182. ad differentiam panis æterni, quo pane ita fruemur in cœlo, ut semel gustatus æternam adferat saturitatem. Quare non erit opus quotidie illum petere, vel accipere.

DA NOBIS. Quamvis non petamus neque expectemus, ut Deus pluatur manna de cœlo, vel Sacramenta per Angelos administret, aut sapientiam dormientibus infundat : sed in sudore vultus nostri panem nostrum tum spiritualem, tum corporalem manducare velimus : tamen recte dicimus, « da nobis ». Tum quia sine Dei providentia et auxilio, inanes essent nostri conatus : tum etiam (ut docet sanctus Augustinus serm. 133.) quoniam cupimus cibum de manu Dei accipere, id est, ab illo sanctificatum, temperatum, dimensum, ut corpori prosit, et animæ non obsit, si de corporali agatur : et contra mentem nutriat, et corpus non destruat, si de spirituali tractetur.

HODIE. Hæc ultima vox duobus modis accipi potest. Uno modo, ut significet, hoc tempore, id est, vitæ hujus mortalis : quo modo accipitur ab Apostolo ad Hebr. III. *Adhortamini vosmetipsos, donec hodie cognominatur* (1). Altero modo, ut significet præcise hoc die. Prior expositio est Cyrilli Catechesi 3. Mystagogica, et Augustini in epist. 121. cap. 11. et lib. II de sermone Domini in monte, cap. 12. Posterior est Tertulliani, Cypriani et Chrysostomi.

Et quidem si priorem amplectamur, cessant multæ quæstiones, quæ fieri solent, cur petamus dari nobis panem sacramentalem eo die, quo ipsum panem accipere nolumus, aut jam accepimus : et cur petamus panem corporalem sæpe statim a cœna vel prandio. Orationem enim Dominicam omnibus horis recitare solemus. Sed istæ, aliæque similes quæstiones locum nullum habent, si vox hodie, non hunc diem, sed totum tempus nostræ mortalitatis, peregrinationisque designet.

(1) Heb. III, 13. — (2) Luc. XI, 4; Mat. VI, 14.

Si tamen posteriorem explicationem sequamur, ad illas quæstiones respondendum erit, nomine panis significari generatim omnia subsidia vitæ necessaria. Et ideo non solum omni die, sed etiam omni hora, et omni momento recte dici posse, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quoniam nullus est dies, nulla hora, nullum momentum, quo aliqua in re subsidio Dei non egeamus : etiamsi non omni die, vel hora Sacramento Eucharistiæ, vel pane corporali indigemus.

QUINTA PETITIO

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

Nomine debitorum non intelliguntur hoc loco, nisi peccata, non autem debita servandi leges, vota, promissiones, et alia id genus. Nam Lucae XI disertis verbis dicitur : *Et Dimittite nobis peccata nostra*. Et Matth. VI. explicans Dominus hanc petitionem ait : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis peccata vestra* (2).

Porro peccata dicuntur debita, tum, quia omnis qui peccat, injuriam facit Deo, ac per hoc debitor est satisfactionis ; tum quia omnis qui peccat, legem Dei prævaricatur ; lex autem Dei pœnam habet adjunctam, cujus luendæ fit debitor, qui legem ipsam violat. Tum denique quoniam commisit Deus unicuique nostrum animam propriam, tamquam vineam excolendam ; ex qua fructus expectat temporibus suis, deditque nobis talenta naturæ et gratiæ, ut operemur in eis, proinde qui negligunt bene operari, debitores fiunt lucri non acquisiti, et census non redditi. Vide etiam aliam rationem apud Ambrosium libro V. de Sacramentis cap. 4.

Solent autem patres ex hac petitione probare tria dogmata ecclesiastica. Primum est, omnes homines, quamvis alioqui justos et sanctos, in hac vita non carere peccatis. Omnes enim dicunt quotidie Deo : *Dimittite nobis debita nostra*. Id colligunt præter cæteros Tertullianus, Cyprianus et Gregorius Nyssenus in locis supra citatis. Secundum sequitur ex superiore, esse quædam peccata venialia, quæ natura sua non faciunt hominem inimicum Dei, et cum ipsa charitate consistunt, de quo vide Augustinum in Enchi-

ridio, cap. 71. Tertium est, post Baptismum esse adhuc locum poenitentiae et indulgentiae. Haec enim oratio propria baptizatorum est, et quamvis potissimum instituta esse videatur ad peccata venialia delenda, tamen valet etiam ad impetrandam peccatorum mortalium indulgentiam. Vide Chrysostomum in comment. ad cap. vi. Matth.

Quod vero addimus, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, non ideo addimus, ut Deus nos imitetur, atque a nobis misericordiam discat: sed ut testemur, nobis misericordiam valde placere, viderique omnino praeclarum condonare injurias, ne forte supplicantiibus nobis Deus respondeat: Quare tu misericordiam a me petis, qui misericordiam odisti? et cur audes postulare, ut tibi parcam, qui turpe tibi ducis conservis tuis parcere? Vide Nyssenum oratione quinta, de oratione Dominica, hunc locum eleganter et copiose explicantem. Existunt autem hoc loco quatuor dubitationes, quae paucis expediendae videntur.

Prima dubitatio, « quoniam debita proximis nostris dimittere nobis necesse sit, si nobis a Deo debita nostra dimitti velimus ». Sed facilis est responsio. Non enim jubemur dimittere omnia debita, sed ea solum, quae sunt cum offensione conjuncta; neque ea omni ex parte, sed tantum quoad offensionem animi, ut videlicet non oderimus proximum, qui nos laesit, neque cum eo inimicitiam geramus. Unde etiam fiet, ut non cogamus cum resarcire damnum nobis illatum, si forte id facere sine maximo detrimento suo non possit; quomodo Deus cum nobis peccata dimittit, condonat injuriam, atque ad amicitiam suam nos reconciliat, neque expetit poenam aeternam, quam sine summo exitio luere non possemus: requirit tamen ut temporalem satisfactionem minime negligamus.

Secunda dubitatio est: « An satis sit dimittere injuriam proximo veniam postulanti, an vero necesse sit dimittere etiam non postulanti ». Sanctus Augustinus in Enchiridio, cap. 73. scribit, satis esse dimittere veniam postulanti. Sed ipse idem in II. lib. de sermone Domini in monte, cap. 13. dicit, necesse esse omnibus dimittere, etiam non petentibus. Et hoc est verius. Dominus enim Marci XI. praecipit: *Cum stabitis ad orandum, dimitte si quid habetis adversus alterum, ut et*

(1) Marc. XI, 25.

Pater vester dimittat vobis peccata vestra (1). Ex quo loco intelligimus dimittendam esse injuriam homini absenti, ac per hoc veniam non petenti. Quod autem S. Augustinus dixit in Enchiridio, fortasse intelligendum de remissione, quae fit per signa externa, non de ea, quae solo animo fieri potest.

Tertia dubitatio est: « An qui ex animo remittit injurias, et tamen in aliquo alio peccato voluntarie perseverat, possit hac oratione aliquid impetrare ». Respondeo, vel is, qui in peccato voluntarie perseverat, cupit sibi dari gratiam a Deo perfectae conversionis, eamque serio postulat; vel non cupit, nec serio postulat: si cupit gratiam conversionis, quamvis interim a concupiscentia victus, peccatum non relinquat, non inutiliter dicit Deo, *Dimitte nobis debita nostra*, et si ex corde dimittat fratri suo injuriam, disponetur ad gratiam perfectae conversionis adipiscendam. Nam qui coepit opus bonum inspirando illi desiderium, et petitionem conversionis, et condonationem injuriarum, perficiet sine dubio, si perseveret ille pulsando et orando, ut Deus adjuvet infirmitatem ipsius, et rebellem ad se convertat propitius voluntatem.

Sin autem non cupit gratiam conversionis, neque ex animo illam petit, sed vel orat solis labiis ex consuetudine, vel (quod gravius est) ut videatur ab hominibus, is non solum nihil impetrat, sed etiam oratio ejus fiet in peccatum, cum in singulis fere petitionibus mentiatur. Quomodo enim dicere potest, *Pater noster*, qui non vult esse filius? et *Sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei assidue blasphematur? et, *Advemat regnum tuum*, qui nihil magis, quam adventum Domini timet? et, *Fiat voluntas tua*, qui suam, non Dei voluntatem semper facit?

Quarta dubitatio est: « Rectene faciant illi, qui cum injurias condonare nolint, ne mentiatur in oratione sua Deo, verba illa praetereunt, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris »? Id enim aliquos facere sole re, testatur Cassianus collat. 9. cap. 22. quos in eodem loco merito reprehendit. Nam etiam si ea verba praetereant, tamen adhuc frustra petunt sibi remitti peccata, cum Dominus tam aperte dixerit: *Si non remisistis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra*.

Adde quod II. qui neque condonant inju-

rias, neque cupiunt gratiam a Deo sibi donari, qua velle incipiant injurias condonare, etiamsi non mentiatur dum non dicunt, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, tamen mentiuntur cum reliquas partes Dominicae orationis pronunciant, ut paulo ante diximus.

SEXTA PETITIO

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

Duæ sunt hujus petitionis explicationes. Prior Hilarii et Hieronymi in commentario ad cap. XXVI. Matth. Ambrosii lib. V. de Sacramen. cap. 4. Cyrilli catechesi 5. mystagogica, Augustini in epist. 121 cap. 11. et Cassiani collation. 9. cap. 23. qui docent, his verbis peti a Deo, non quidem ut non tentemur, sed ne a tentatore vincamur. Posterior est Tertulliani in lib. de oratione, Cypriani in serm. de oratione Dominica, Gregorii Nysseni oratione 5. de oratione Dominica, Chrysostomi et Euthymii in comment. ad cap. VI. Matth. qui volunt id peti, ut simpliciter non tentemur. Quae sententia posterior videtur nobis aliquanto probabilior.

Nam secundum modum loquendi Scripturarum, non induci in tentationem, non videtur esse, non vinci a tentatione, sed in tentationem non incidere. Quod enim legimus in Psalm. LXV. *Induxisti nos in laqueum* (1), omnino idem est, ac si dictum esset, induxisti nos in tentationem: et tamen eo loco non significat Propheta, se Dei permissione a tentatione fuisse devictum, sed solum tentari, vexarique permissum, ut ipse etiam sanctus Augustinus eum locum exponit, et Psalmus totus, si consulatur, clamat. Simile est illud Apostoli I ad Corinth. X. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (2). Idem enim esse videtur, apprehendi a tentatione, et induci in tentationem: et tamen non significat Apostolus Corinthios ab humana tentatione fuisse superatos, sed tantum fuisse Deo permittente tentatos.

Adde quod cum tentatio, quamvis interdum sit utilis, semper sit periculosa, propter ambiguum, incertamque victoriam, non solum praesumptio est illam appetere, sed etiam humilitas declinare, et a Deo petere, ut nos in certamen ejusmodi non inducat.

At Jacobus ait cap. I: *Omne gaudium exi-*

stimate, fratres, cum in tentationes varias incidetis. Et David in Psalm. XXV. *Proba, inquit, me, Domine, et tenta me* (3). Respondeo: Tentatio quamvis appetenda non sit, tamen non solum fortiter, sed etiam cum gaudio toleranda est, ut Jacobus dicit. Tamen quod toleratur, non amatur neque petitur: « Tolerare (inquit Augustinus lib. X. Confessionum, cap. 28.) eas jubes, non amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amet. Quamvis enim gaudeat se tolerare, tamen mavult non esse quod toleret ». Porro Sancti nonnunquam ex revelatione divina certiores redditi de victoria recte petunt tentari, vel ipsi se periculis et persecutoribus objiciunt; sed ejusmodi exempla veneranda sunt ab omnibus, non ab omnibus imitanda.

Quoniam autem finis hujus petitionis est evitatio peccati futuri, possent duæ illae sententiae Patrum ita conciliari, ut prior respectu finem, atque intentionem orantis, posterior verba ipsa orationis. Petimus enim non induci in tentationem, ne forte a tentatione superati legem Domini violemus.

Discimus vero ex hac petitione (ut S. Cyprianus monet) duo utilissima documenta, nos videlicet sine Dei auxilio, omnino esse infirmos et imbecilles: et Satanam sine Dei permissione non solum non dejicere, sed ne tentare quidem servos Dei posse; proinde neque de viribus nostris gloriari, neque Satanæ potentiam formidare nos oportere, si ut servi fideles et humiles de Dei semper auxilio et protectione speremus.

SEPTIMA PETITIO

SED LIBERA NOS A MALO.

Græci Patres omnes per « malum », intelligunt Diabolum, ut Nyssenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius et Theophilactus, locis supra citatis. Movet autem eos articulus additus ad nomen; sic enim legunt *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*. Eandem sententiam sequuntur ex Latinis Ambrosius, Chrysologus, Cassianus. Verum Cyprianus, Augustinus, Rupertus, Beda, et plerique alii Latini intelligunt per « malum », res omnes malas, ac potissimum presentis vite calamitates, in quas incidimus per Adæ peccatum.

Confirmat hanc sententiam Ecclesiae auctoritas, quæ in sacrificio altaris, posteaquam dictum est, *libera nos a malo*, subjungi insti-

(1) Psal. LXV, 11. — (2) I Cor. X, 13. — (3) Jacob. I, 2; Psal. XXV, 2.

tuit hanc veluti explicationem, « Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi ». Ubi illud, « præteritis », respicit petitionem quintam, « futuris », petitionem sextam, « præsentibus », petitionem septimam. Illud autem a « peccatis simus semper liberi », pertinet ad petitionem quintam et sextam: illud vero, « ab omni perturbatione securi », ad petitionem septimam.

Neque vero articulus Græcus multum adjuvat sententiam priorem. Nam in Scripturis eadem vox *πρωτος* cum suo articulo non raro accipitur pro re mala, ut ad Roman. XII. *Odientes malum, adherentes bono*. In Græco pro voce, « malum », est *τὸν πρωτον*. Et Matth. v. *Sit autem sermo vester, est, est, non, non. Quod enim his amplius est, a malo est* (1), id est, a corruptione est. Græce habetur *ἐκ τοῦ πρωτου*.

Addunt Græci codices Matth. vi. post septem petitiones hæc verba. « Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria in sæcula, Amen ». Et explicant clausulam istam Chrysostomus, Theophilactus et Euthymius in commentario ejusdem loci. Sed certum est, ea verba non esse de textu Evangelico, sed inserta fuisse a Græcis ex consuetudine, quam habent ea verba recitandi post orationem Dominicam in sacrificio Missæ. Nam Latini etiam antiquissimi, et Græcæ linguæ periti, ut Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, nullam horum verborum mentionem faciunt. Videtur igitur illa esse appendix quædam orationis Dominicæ apud Græcos, sicut est apud Latinos illud, « Libera nos, quæsumus, Domine etc. ». Nam sicut apud nos non continuantur hæc verba cum oratione Dominica: ita neque apud Græcos continuantur, ut perspicuum est ex Liturgia Chrysostomi. Atque hæc de Dominica oratione sufficiant.

CAPUT VII.

Solius creaturæ rationalis proprium esse orare.

Sequitur pars quinta disputationis, in qua explicandum est, cujus sit orare. Sed res facilis est. Non enim convenit munus orandi,

(1) Matth. V. 37. — (2) Ex. XXXII, 10. — (3) Job. IX, 13. Jos. X, 13. — (4) Rom. VIII, 26.

nisi Angelis et hominibus. Est enim oratio actus quidam rationis, quo unus alteri supplicat, inferior videlicet superiori, et pauper diviti. Ex quo sequitur ut nec Deo conveniat orare, cum ipse nullum habeat se ditioem aut superiorem, quippe cui omnes dicunt, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; neque etiam bestiis et rebus inanimatorum, quæ sunt rationis et orationis expertes. Quare impia et blasphema censenda est deliratio illa Judæorum Thalmudistarum, qui dicunt, Deum quotidie certas orationes devoto animo fundere. In Thalmud. ord. 1. tractat. 1. dist. 1. Idem illa pseudopropheta Mahomethi, qui affirmat Deum et Angelos per se orare, in Alcorano, cap. 43.

Illud autem quod dicit Dominus ad Mosem Exodi xxxii. *Dimitte me, ut irascatur furor meus* (2): non proprie sed metaphorice accipiendum est, ut sancti Patres exponunt. Augustinus quæst. 149. in Exodi, Cyrillus lib. v. in Julianum, et Gregorius lib. ix, Moralium, cap. 12. Non enim significat illud, « Dimitte me », Deum potuisse a Mose impediri, ne faceret quod vellet, cum scriptum sit in libro Job, cap. ix. *Deus, cujus iræ nemo resistere potest*: sed significat, Deum precibus Mosis placatum id fecisse, quod illi solent, qui ab aliquo impediuntur, ne in aliquem alium severe animadvertant, quemadmodum etiam illud, *ut irascatur furor meus*, non proprie, sed per metaphoram accipitur. Dicitur enim Deus irasci, et furere, cum id facit sine ulla perturbatione, quod homines impellente furore faciunt, id est, perdit ac destruit. Denique similis metaphora est in illo Josue x. *Stetit sol in medio cæli obediente Deo voci hominis* (3). Significatur enim in his verbis, Deum tam prompte fecisse, quod Josue fieri cupiebat, ac si ad nutum ei parere voluisset, hoc est fecisse id, quod facere solent, qui dominis suis libenter obediunt.

Quod autem legimus ad Roman. viii. *Ipsè spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (4): pro eo sine dubio positum est, quod nos postulare facit, ut S. Augustinus docet in lib. i. adversus Maximinum non procul ab initio.

Non dissimili ratione explicandæ sunt sententiæ Scripturarum vel Patrum, quæ mutis animantibus tribuere videntur munus precandi, quale est illud Ps. ciii. *Catuli leonum*

rugientes ut rapiant et querant a Deo escam sibi. Et illud Psalm. cxlvi. *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (1). Et illud S. Hieronymi in vita S. Pauli primi eremitæ, ubi refert monstrum quoddam sancto Antonio humana voce dixisse: « Legatione fungor gregis mei; precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris ». Et in eodem loco cum dixisset duos leones sancto Antonio blandiri, ejusque manus ac pedes lingere, et quasi osculari cœpisse, subjunxit: « Ille animadvertit, benedictionem eos a se precari ».

Hæc, inquam, et alia id genus omnia metaphorica sunt. Dicuntur enim catuli leonum, et corvorum pulli Deum invocare, dum naturali quodam instinctu sive rugiendo, sive crocitando expriment famem suam; cui Deus secundum ordinem providentiæ suæ prospicit, aperiens manum suam, et implens omne animal benedictione. Quod autem leones sancto blandiebantur Antonio, intermiracula numerandum est, sicut etiam illud quod petulcum illud et cornutum animal humana voce pro suo gregè orari petiverit. Nam ut olim asina Balaam, ut legimus Num. xxii. Deo volente locuta est, et quæ sibi necessaria erant, petiit, quamvis vocem ipsa suam non intelligeret; sic etiam monstrum illud, quod sanctus Hieronymus perpetuo bestiam vocat, divino miraculo loqui, et quæ sibi, suoque gregi congruebant, petere potuit, quamvis nec sciret, nec intelligeret quid loqueretur, aut postularet.

CAPUT VIII.

Non solum generatim, sed etiam in specie pro certis hominibus orari potuisse.

Sexto loco tractandum proposuimus a quibus, et pro quibus sit aliquid per orationem petendum. Sed quoniam duæ primariæ controversiæ de invocatione sanctorum, et oratione pro defunctis quæ hic tractari potuissent, jam sunt a nobis partim in lib. de cultu Sanctorum, partim in 1 lib. de Purgatorio explicatæ: solum hoc loco dubitationem illam expediemus, liceatne in specie pro aliquo preces fundere. Siquidem Joannes Wicleffus duos errores de speciali oratione inexit. Unum, orationes speciales non magis prodesse, quam generales, et ideo non recte

facere eos, qui certos redditus legant Ecclesiis, ut singulis diebus, vel hebdomadibus sacra fiant, ut preces fundantur pro ipsorum anima. Alterum, non licere specialem orationem pro aliquo fundere, sed omnem orationem debere esse generalem, et pro omnibus simul, non pro singulis seorsim. Priorem errorem damnavit Concilium Constantiense sess. 8. Posteriolem refert et refellit Thomas Waldensis tom. iii. de Sacramentalibus, tit. 11. cap. 107.

Possumus utrumque errorem exemplis Scripturarum breviter confutare. Legimus enim Patriarchas, Prophetas, Apostolos, et ipsum etiam Christum speciales orationes fuisse: quod numquam fecissent, si vel illicitæ, vel inutiles essent ejusmodi preces. Igitur in Genes. cap. xxv. Isaac orat in specie pro conjuge sua Rebecca. II Reg. xii. David orat pro salute filii sui periclitantis. III Reg. xvii. orat Helias pro filio viduæ. II Machab. iii. Onias oravit pro salute Heliodori. Luc. xxii. Christus oravit pro Petro, ut non deficeret fides ejus. Actor. xii. oratio fiebat sine intermissione a tota Ecclesia Hierosolymitana pro S. Petro in carcere constituto. Ephes. vi. apostolus Paulus petit ab Ephesiis, ut orent generatim pro omnibus Sanctis et speciatim pro se. Quod etiam in commentario ejus loci observavit Hieronymus, et I ad Timoth. ii. idem Apostolus orari præcipit pro omnibus generatim, et in specie pro rege, et aliis in sublimitate constitutis. Neque ulla ratio est, cur non liceat orare pro singulis, si licet orare pro omnibus, et cur non sit utilior oratio ut satisfactoria illi, pro quo fit, si pro ipso tantum fiat, quam si fiat generatim pro omnibus. Quomodo etiam eleemosyna utilior est illi cui datur, si tota detur ei soli, quam si dividatur in multos.

Sed objicit Wicleffus argumenta tria. Primum est, oratio non est efficax, quæ ex perfecta charitate non prodit, perfecta vero charitas omnes amplectitur, nullum excludit.

Respondeo: Perfecta charitas est ordinata, et ideo quamvis omnes amplectatur, tamen alios aliis anteponit, et nunc illos, nunc istos, nunc omnes, nunc singulos juvat, pro ut magis vel minus omnes, aut singulos istos, aut illos ope sua indigere cognoscit.

Secunda objectio. Oratio Dominica tota

(1) Psal. CIII, 21; Psal. CXLVI, 9.